



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiae,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

De sacra militia VVenceslai Ducis. Cap. LXVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**

bantis in ea militia inter ceteros inclaruit  
Wilhelmus de Rode, patritius Louaniensis.  
Huic militiæ vacare non potuit Ioannes III.  
Princeps simplex, modestus, & iustus, quia  
bellum contra eum suscepserant Ioannes Boë-  
mix Rex, filia Brabantia matre genitus, &  
Ludouicus Comes Flâdriæ, Ducatus partem  
postulantes: quibus se multi Principes socios  
adiunxerant. Cōtra quos limites sui Ducatus  
magno animo & prosperitate defendit. Obiit  
Furæ  $\infty$ . CCC. LV. die VI. Decembris.

*De sacra militia VV E N C E S L A I D u c u s.*  
**C A P . L X V I .**

XII. Lotha-  
ringia &  
Brabantia  
Dux Ioanna  
nupta Vuen-  
ceslao.

PER Ioannam filiam Ioannis tertij Duca-  
tum obtinuit eius maritus Wenceslaus  
Bohemus, Dux Lutceburgensis, filius Ioannis  
Regis Bohemiæ, frater Caroli IV. Imperatoris.

Hic multa geñit bella: sed hoc loco sacra  
dumtaxat attingimus, quorum vnum fuit  
contra sectam *Iaques Bon-homme*, Alterum  
contra raptores Ultramosanos. De priore scri-  
bunt Gaguinus lib. I x. Massæus lib. XVI II. &  
Tritthemius in Chronico Hirsaugiæ ad an-  
num C I O. CCC. L X I I . cuius hæc est narratio:  
Exorta est in Sabaudia & Gallijs pessima so-  
cietas hominum plus quam centum milium,  
qui venundati erant ut facerent malum, erat-  
que eis propositum, nobilitatem omnem  
exterminare. Inter Ligerim igitur & Sequa-  
nam omnia vastabant, ut nullus in villis &  
agris

agris remanere auderet. Constituerant autem supra se Regem hominem pessimum, quem Iacobum bonum hominem vocabant. Incendijs, cedibus, rapinis omnia implebant: matronis passim pudorem eripiebant: quin & militem quandam, vidente domina uxore eius ac liberis, in veru velut anserem aut caponem assauerunt, volentes uxorem & liberos de tam execrabilis affatura manducare: nec mora, nolentem cum liberis occiderunt. Veruntamen Deo miserante quam maximus eorum numerus extinctus est apud Meldas in Bria. Rex autem Nauarræ nefandas eorum copias prostrauit, ac Regem ipsorum *Jacques Bon-homme* cepit. Qui primum excoriatus, deinde suspensus est. Reliqua eorum multitudo versus Teutoniā perrexit, ubi etiam restitum eis fuit. Nam Wenceslaus Dux cum sua militia, Dux Barrensis, Dux Lotharingia, ac alij plures nobiles, eorum furori se obiecerunt, & prælio commisso eos vicerunt, ac in nihilum omnes conatus eorum redegerunt.

Eodem hoc Duce in Brabantia commorante, crebræ ad eum ac frequentes delatae sunt querelæ, quod in castro Hermersbach sese continerent equites, qui mercatores Brabantæ aliarumque prouinciarum inhumaniter spoliabant, ac male tractabant, & vias publicas bonis hominibus, ne cum mercibus transire possent, intercludebant. Quam obrem videns Dux se saluo timore Dei non posse

posse hæc dissimulare, congregauit electam multitudinem belligatorum, & summa v̄sū celeritate eō profectus est. Pertinebat autem locus ad Furstadum de Merode, qui adhuc pueritiæ annos agebat: eius tutores tales hospites illic receptabant. Dux itaque obsessum castrum crebris oppugnationibus per vim cepit, & Diaboli nidum usque ad solium destrui fecit, & reuersus est in terram suam cum pace. hæc Chronicon Brabantia. Dn. Thimo paullo pleniū scribit, eum Hennersbach, & Stelenborch, & alia raptorum castra ultra Mosam destruxisse.

*De sacra militia I O A N N I S contra Turcas, qui  
Antonius, fratri suo Antonio Ducatum ceſſit.*

Antonius,  
xii. Lotha-  
ringia &  
Brabantie  
Dux.  
& al. Baia-  
Letem.

### C A P. LXVII.

**C**V M Sigismundo Hungariæ Regi necesse fuit bellum parare contra \* Pazaitem Turcarum Imperatorem, habuit voluntarios belli socios ex Gallia Angliaque non paucos, illustri loco natos. Tum Philippus Audax, qui Carolo VI. Rege phrenetico instar Regis erat, Gallijs præfecit filium suum Ioannem, iuuenem annorum circiter xxv. præclaræ indolis, & omni nobilitati gratissimum.

Ceterùm dum ad Nicopolim Galli primam aciem sibi expetunt audiūs, inchoata pugna priusquam omnis acies explicaretur, turpiter succubuerunt, quanquam plures ex barbaris quam ex nostris ea pugna ceciderint,